VIRO AMPLISSIMO FRIDERICO E MARCHIONIBUS MANFREDINI PATAVINORUM…



VIRO AMPLISSIMO

FRIDERICO

E MARCHIONIBUS MANFREDINI

PATAVINORUM EPISCOPO RENUNTIATO

QUO DIE

CATHEDRALEM BASILICAM

SOLEMNITER INGREDITUR

Quo die Patavinorum Episcopus renuntiatus Cathedralem Basilicam ingenti omnium plausu solemniter ingredereris, officii mei esse duxi publicam Tibi obsequii ac observantiae significationem exhibere, magna exsultantis animi laetitia ac gratulatione. Hoc siquidem a me postulare videbatur cum pastorale munus, quod me Tibi perinde ac membrum capiti arctissimo quodam quasi vinculo ac prope cognatione conjungit, tum certa spes fore, ut Civitas ac Dioecesis universa haud parvum inde adjumentum capiat atque utilitatem: quae porro spes in dies clarior affulget, ac bonos omnes maxima voluptate perfundit. Hanc vero honoris significationem Tibi testatam volui quibusdam versibus rudibus plane ac inelegantibus, sed quae obsequentis animi sensa plenissime patefaciunt. Hoc

tamen vehementer doleo, quod iidem neque amplissimae dignitati Tuae, neque hodiernae festivitatis decori ac magnificentiae ex aequo respondeant. Quod mihi est ita firmiter persuasum, ut eos nunquam edere ausus essem, nisi pro certo haberem, ad summorum Praesulum ovationes non solum poetarum cantus ac dulces sonitus cithararum, sed etiam raucisonos gestientium populorum clamores vel plurimum conferre. Quamobrem spero futurum, ut, quanquam nihil in me sit, ex quo aliquam possim commendationem quaerere, Tu tamen digneris signa benevolentiae ostendere amantissime suavitate illa Tua, qua animos recreas et solaris, atque meos versus, quicunque ii sint, quos in praesentiarum Tibi subjicio, optime Antistes, perhumaniter excipias, ac licet tanto haud dignos ornamento Tuis ornes auspiciis. Quod si cui in hac potissimum virium mearum infirmitate plus justo audere videar, is sciat non me de meipso, sed de Tua benignitate, ut par est, confidere, quae una in causa profecto fuit, cur illos in tantam hujus celebritatis lucem, quam ex se ferre non possent, fidenter emitterem.

Ph. Z.

FAMES JUSTITIAE [1]

ELEGIDION

O, quem Justitiae bene suada Fames premit usque,
Virtutis referas praemia digna tuae.
Haec Istrum Tiberimque velox pervasit, eamque
Mox Caesar sensit, sensit et ipse Pius.
Hinc paribus studiis ad claram [2] Te atque vetustam
Prosdocimi sedem junctus uterque vocat.
Hoc dudum Deus, hoc oracla superna tulerunt [3],
Hoc sibi Justitiae vult saturanda Fames.
Laetantes caput attollunt Athesisque Padusque [4],
Quod domus ac patriae Tu decora alta novas.
Junctaque fluminibus gestit patrui umbra sepulchro,
Cujus tellus adhuc, aequora et astra ferunt
Nomen [5]. Te resonant pingues circum undique campi,
Teque omnis toto flumine ripa sonat.
Laetior at, magnisque fremens Te plausibus unda
Medoaci repetit, concelebratque patrem.

Ito igitur, quo te Numen vocat. Omnia rident
Undique fausta Tibi. Fallor? an ipse Deus
Non Tibi grandia spondet? molles dulce virentum
Pratorum haud herbas tangere clam coluber
Audebit, subito aut vitreas accedere lapsu
Puri ad fontis aquas. Tutus in herbiferis
Jam pascet campis niveus grex: tutus ad amnes
Descendet riguos usque levare sitim:
Frondiferae jucundam tutus ad illicis umbram
Otia jam carpet mente animoque petens
Florentes colles, nemorumque amoena vireta
Fortunatorum, sidereasque domus,
Gaudia coelicolùm centum, quo diva vocarit
Vox tua, vox dulcis sollicitique patris.
O mille aucta bonis tanto sub Praesule tellus,
Qui sibi cunctorum dotibus egregiis,
Ac raro sapiens moderamine corda revincat!
Felices populi! terra beata nimis,
Quam beat ore suo, roseo quam lumine vestit,
Ac replet solidis undique deliciis!



ANNOTATIONES

(1) Epigraphe jamdiu prostans in aula Episcopii maxima tanti Praesulis memoriam perennatura.

(2) Episcopalis Cathedra Patavina clarissima cum ob longam et non interruptam seriem Episcoporum incipientem a D. Prosdocimo, qui Patavinis Episcopus datus fuit ab ipso Apostolorum Principe D. Petro, tum ob illorum plures doctrina, prudentia, pastorali sollicitudine ac sanctitate praestantes.

(3) Vulgo fertur, ante dictam epigraphem, atque alias hujusmodi, quae in eadem Episcopii aula plures leguntur ad perpetuam Patavinorum Antistitum recordationem, sanctum quempiam dictasse virum, afflante Numine.

(4) Flumina, quae inter in amoena planitie exsurgit Rhodigium, unde ortum suum duxit laudatus Antistes e patritia Manfredinorum Familia genere, doctrina, virtute ac religione praestantissima, nec non claris insignibus et egregia summorum munerum perfunctione.

(5) Fridericus Manfredini patruus Friderici hujus nostri amantissimus, cujus virtutes ac praeclara merita laudes omnes superant.




PATAVII
TYPIS SEMINARII
1857

56